

omnibus compertum est. naturam hominis a parte rei esse aliam a natura equi: maior probatur: nam si communitas illarum naturarum est per intellectum, etiam distinctio fundata in illa communitate erit per intellectum; ac per consequens homo, & equus, vt dicunt naturas communes distinctas, distinguuntur per intellectum, & non a parte rei: & ita cessabit distinctio specifica fundamentalis a parte rei, quod non est concedendum. Igitur, &c.

*Vltima conclusio.*

Dicendum vltimo: natura in quocunque indiuiduo a parte rei est ex se apta ad essendum in pluribus diuisim. Hec ex precedente conclusione constat: & breuiter probatur: aptitudo quaelibet est realiter ipsamet natura, cuius est aptitudo: ergo aptitudo naturae communis erit ipsa natura communis: sed natura in quolibet indiuiduo est communis ex se: ergo est apta ex se ad essendum in multis: non simul: quia hoc implicat naturae creatae: ergo diuisim. Itaque natura ex se non magis sibi determinat hanc singularitatem, quam illam: sed ad omnes est indeterminata negatiue, & apta per omnes determinari: licet, vt facta est propria vnus indiuidui, sibi repugnet esse sub alio, non ex se; sed ex singularitate, cui ab agente coniungitur.

Dices: natura Petri in illo priori est apta esse in Paulo, & in omnibus indiuiduis: & similiter natura Pauli: & sic de singulis: igitur quot sunt indiuidua, tot erunt naturae specificae: ac per consequens tot species distinctae predicabiles: cum vna quaeque sit apta fundare secundam intentionem speciei, respectu multorum indiuiduorum: quod est absurdum.

Respondeo distinguendo vltimum consequens: respectu indiuiduorum alterius speciei: concedo: respectu indiuiduorum, quibus sunt communes: nego consequentiam: quia vt sic tantum vniam intentionem speciei fundare possunt: cum quaelibet harum naturarum aequae talibus indiuiduis conueniat.

Contra: istae naturae aequae possunt predicari de suis indiuiduis: ergo possunt omnes de vno indiuiduo predicari: cum omnia indiuidua sint eiusdem rationis: & sic de Francisco mille naturae poterunt predicari: ac per consequens esse de quidditate illius: quod videtur absurdum.

Respondeo, aliqua praemittendo. Primum: quod aliud est loqui de singularitate actu contrahente naturam, & aliud de ipsa actu non contrahente: primo modo singularitas facit actu vnum indiuiduum cum natura: & ita natura contracta cum tali singularitate nequit intelligi prior ipsa singularitate: quia tunc esset contracta, & non contracta: quare vt sic non habet ad alias singularitates aptitudinem, nec proximam, nec remotam; vt optime hic, quaest. tertia articulo tertio, probant Conimbrienses: secundo vero modo singularitas non facit actu vnum indiuiduum, sed est apta nata facere illud: quia est in potentia contrahens, & natura in potentia contrahibilis.

Secundo praemitto: quod quando dicimus

naturam predicari de indiuiduo in quid, non intelligimus naturam predicari in quid de singularitate: quia singularitas est extra quidditatem naturae, & ita natura tantum de illa denominatiue dicitur: sed predicari in quid speciem de indiuiduo est, speciem sumptam in concreto dici de indiuiduis in concreto, prout ex natura, & singularitate constant. Itaque talis praedicatio naturae de indiuiduis conuenit ipsi ratione naturae, quam in se contractam habent: & hoc est etiam indiuidua conuenire in natura: quia quodlibet in se habet naturam eiusdem rationis.

Vltimo praemitto: quod si per impossibile tantum essent decem indiuidua actu existentia, siue si in actu tantum essent decem naturae contractae in indiuiduis: quia natura in actu non est, nisi in indiuiduis: si per impossibile, inquam, hoc esset: quando dicimus: quod indiuidua conueniunt in natura communi: & quod natura de ipsis in quid praedicatur: non debemus intelligere vniam naturam in communi, aliam ab illis decem: sed sic est nobis intelligendum: quod eadem natura, quae est in vno indiuiduo, ipsa praedicatur de illo, & de omnibus alijs, quatenus in illo priori consideratur ante propriam singularitatem: quia, vt sic, ipsa est contrahibilis, & cum quacunque singularitate est apta nata indiuiduum constituere, & esse de quidditate illius. Ex quo fit: quod dicitur predicari in quid de illo, & de omnibus alijs: non vero vt iam est contracta in vno indiuiduo: quia tunc solum de se ipsa quidditatiue praedicatur: sed vt est contrahibilis, & singularitates omnes sunt illius contrahentes. Est enim praedicari in quid naturam de indiuiduis, ipsam, vt contrahibilem, aptam esse constituere indiuiduum cum singularitate. Et per haec patet ad obiectionem: non enim inconuenit plures naturas esse aptas predicari de vno indiuiduo; licet inconueniat plures de illo in actu predicari, vt intendit obiectio.

Ad argumenta primae sententiae: ad primum distingo antecedens: quidquid est in mundo est singulare, ita vt singularitas sit de essentia, & quidditate illius: nego: est singulare, hoc est, quidditas cuiuscunque rei est sub singularitate; ita vt singularitas sit modus tantum: concedo antecedens, & nego consequentiam: ad probationem dico: quod creatio, & generatio, non terminantur praecise ad singularitatem, sed ad singulare, hoc est, ad naturam sub singularitate: ita Doctor in primo distinctio 36. & in tertio distinctio 2. Leuchetus, quaest. 13. quodlib.

Ad secundum dico: quod est vtrumque simul: est enim natura per se, & ex se, communis; & per accidens singularis: quia singularitas sibi accidit. Ad maximam ibi adductam respondebitur solutione ad vltimum pro secunda sententia.

Ad argumenta secundae sententiae: ad primum nego minorem: nam vt art. sequente dicemus, natura ex se habet existentiam sibi propriam ab existentia

*Ad primam sententiam.*

*Ad secundam.*

*Ad primam pro secunda sententia.*

sentia singularium distinctam. Vel si existentiam propriam naturae concedere recuses: dicit quod Maxima est falsa: sufficit enim, vt natura communis habeat per accidens a parte rei existentiam singularis: ex se enim sufficit, vt habeat entitatem pluribus communicabilem, & aptam existere in illis.

*Ad secundam.*

Ad secundum patet ex solutione ad primum pro prima sententia: est enim omnis res existens in rerum natura per accidens singularis: ex se autem est communis a parte rei, & non per intellectum: etiam si talis natura existens negatiue sumatur: vt vult Caietanus: nec fundamenta sua soluant argumenta Doctoris; vt optime probat Pater Fabrus Theorem. 93. quia Doctor sumit naturam secundum se; licet sit in indiuiduis contracta; non tamen sumit eam, vt contractam: nec Doctor in hoc argumento: natura a parte rei de se non est singularis: ergo est communis: arguit a propositione negatiua ad propositionem affirmatiuam de praedicato infinito; sed a negatione vnus contrarij ad aliud: quae consequentia est validissima ex Aristotele, capite de oppositis, quando contraria non habent medium: vt si arguatur: numerus binarius non est impar: ergo est par. Ita in proposito: natura de se non est haec: ergo est communis: quia inter commune, & singulare, non est medium. Et in hac forma procedunt nonnulla argumenta Doctoris: in quorum intelligentia, vt solet, potius deceptus est Caietanus.

*Ad tertiam.*

Ad tertiam nego antecedens: ad probationem primam, nego maiorem: nam vt Articulo sequente dicemus: natura ex natura rei distinguitur a singularitate: ad secundam probationem dico: quod humanitas in Petro per accidens est contracta; & ita non potest realiter contrahi ad Ioannem: ex se tamen non dicit repugnantiam ad contrahi per omnes singularitates, sed est ex se indeterminata ad omnes: nec haec sibi contradicunt: natura est determinata ad hoc, & indeterminata ad plura: nam esse determinatam conuenit naturae per accidens, & ex aliquo extrinseco: esse vero indeterminatam conuenit illi ex se, & ab intrinseco: quae duo sibi non contradicunt; vt patet.

*Ad quartam.*

Ad quartum dico: quod Regula illa debet intelligi de praedicatis praedicamentibus, & non de transcendentalibus: & ita negatur consequentia: humanitas enim: verbi gratia, dupliciter consideratur: vel vt natura transcendens, sicut & quaelibet natura communis: & vt sic, communitas est praedicatum eius in secundo modo, quod non potest inferioribus conuenire: vel consideratur vt natura praedicamentalis: & ita quidquid praedicatur de illa, praedicatur de suis inferioribus, quod non contingit in praesenti.

Secundo dico: quod superius praedicatur de inferiori specificatiue sumpto, & prout includit superius; non vero reduplicatiue sumpto: nam in hoc secundo sensu est praedicatio denominatiua: Petrus enim specificatiue est risibilis formaliter: at vero reduplicatiue, haec est deno-

minatiua: Petrus est risibilis: quia homo non praedicatur de petreitate; nisi denominatiue: ita in proposito indiuiduum specificatiue est commune, non vero reduplicatiue.

*Ad vltimam.*

Ad vltimum dico: quod Maxima illa absolute est falsa: aqua enim licet sit per se secundo modo frigida, per accidens tamen est calida: quare, vt sit vera, tantum tenet in praedicatis essentialibus; vel si teneat in omnibus; debet intelligi cum Doctore quaest. vltima Prologi: quod oppositum nequit illi conuenire in eodem modo, quo sibi opponitur: & cum communitas conueniat naturae in secundo modo, singularitas in tali modo non potest illi conuenire: quod verum est: quia singularitas non est praedicatum in primo, nec secundo modo ipsius naturae; & ideo illi non conuenit per se. Vel vt melius dicam; communitas opponitur incommunicabilitati, & haec non potest ex principijs naturae ipsi conuenire; bene tamen per aliquod extrinsecum, scilicet licet per singularitatem.

ARTIC. II.

*An natura communes distinguantur a parte rei ab ipsis singularitatibus?*

**P**RIMA sententia, quae communiter tribuitur Platoni in Timaeo, asserit dari a parte rei naturas communes, & vniuersales; a singularitatibus realiter distinctas, quas ipse ideas appellabat; assereratque esse immateriales, & incorruptibiles: vt ita errore Heracliti, & Cratylly, dicentium omnia entia contingentia esse corruptibilia, fugerent, & vitarent: quae quidem sententia, seu potius fictio, probatur hoc vnico argumento: scientiae dantur de vniuersalibus, perpetuis, & necessarijs: sed quidquid est in singularibus exitus est corruptibile, & contingens: ergo necessario danda sunt naturae communes a singularibus separatae; de quibus scientiae dari possint.

*1. Sententia.*

Secunda sententia est apud Thomistas communis: qui sicut negant dari a parte rei distinctionem formalem; ita affirmant naturas communes tantum ratione a singularitatibus distinguuntur: ita Suarez, vt supra sectione prima, & disputatione quinta, sectione secunda; & Conimbrienses in praesenti: & probatur primo. Si natura humana Platonis est actu distincta ab eius differentia indiuiduali, poterit absque dubio sine illa concipi: & idem dicendum est de humanitate Socratis: concipiantur ergo; & conferantur inter se: vel differunt, vel sunt omnino idem: hoc secundum est absurdum: quia cum illi duo homines realiter differant, non possunt humanitates in eis existentes idem prorsus esse: si detur primum: ergo aliquid habent a parte rei inimum illae naturae, per quod differant: sed id non est ipsa natura humana, in ea enim conueniunt; & non differunt: ergo sunt differentiae indiuiduales: ac proinde actu a natura differre non possunt.

*1. Argum.*

Secundū.

Secundo, si natura comunis distinguere- tur à singularitate, posset de potentia absolu- ta esse sine illa: consequens est impossibile, & contra Scotum: ergo. Sequela probatur: quidquid existit existentia independente ab alio, potest ab illo alio separari: sed natura ha- bet per vos, d. Scotistæ, existentiam indepen- dentem ab existentia singulari: quia prius, vt prius, non dependet à posteriori: igitur, de po- tentia absoluta poterit natura esse sine singula- ritate: quod est signum primæ sententiæ. Consequencia est legitima: minor est vestra sententia: maior probatur ex Scoto in primo, & secundo, distin. prima quæst. secunda ubi ait: quod priori natura non repugnat esse sine pos- teriori: & in secundo distinct. 12. quæst. secun- da sic ait: quidquid contingenter se habet ad quodlibet cuiuslibet generis absoluti, habet se contingenter ad illud genus absolutum: vt ma- teria prima: quia contingenter se habet ad quã- libet formam, potest esse sine omni forma de potentia absoluta: sed natura ex se necessario determinat aliquam singularitatem: ergo pote- rit esse sine omni: sicut materia prima sine for- ma.

Tertiū.

Tertio, si natura: verbi gratia, Petri, & na- tura Ioannis, ex natura rei à suis singularitati- bus distinguuntur; sequitur quod erunt singu- lares ante singularitatem: consequens est fal- sum: ergo. Sequela probatur: nam duæ illæ naturæ in illo priori habent suas entitates à par- te rei; & existunt extra suas causas: ergo sunt singulares ante singularitates: patet conse- quentia: quia nihil habet esse extra causas exis- tens, quod non sit singulare: ergo ne hoc ad- mittatur; dicendum est, naturam communem tantum ratione distingui à propria singularita- te. Alia argumenta minoris difficultatis con- ficit Suarez, quæ, quia ex dictis facillime soluuntur, illa omittit decreui.

2. Sentent. Doctoris.

Tertia sententia est Doctoris locis Articuli. præcedente citatis: & in primo distinct. 2. quæst. 7. & distinct. 3. quæst. 1. & suorum Discipulorum ibidem, quos sequitur Ioannes Baptista Monle- rius in speciali opere de vniuersalibus cap. 6. & quia hic Articulus dependet ex Articulo sexto huius quæstionis, idco breuiter sequentibus con- clusionibus explicatur.

1. Conclus.

Dicendum primo, inter naturam communem, & singularitates, non datur distinctio realis, nec separatio illa, quam asseruit prima sententia: hæc est omnium, tam Theologorum, quam Phi- losophorum placitum contra Platonem rela- tum ab Aristot. 1. Metaphys. text. 12. quamvis ab hoc signum Platonem liberare curent Augu- lib. 83. quæst. 46. & Doctor Subt. in primo dist. 35. quæst. vnic. a littera I. & alij: sed probatur con- clusio: quidquid verè, & realiter prædicatur de aliquo, debet esse in eo: sed natura comunis verè prædicatur de singularibus; in his propo- sitionibus: Petrus est homo: homo est animal: ergo natura hominis, & animalis, verè & realiter sunt in eis: maior probatur: nam ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur ve- ra, vel falsa: sed in his propositionibus prædicat-

tur naturæ communes de singularibus: ergo aut sunt in illis: aut propositiones sunt falsæ: non hoc secundum; vt experientia constat: ergo naturæ communes sunt in rebus, & nullo modo ab ipsis separatæ.

2. Conclus.

Dicendum secundo, inter naturas commu- nes, & proprias singularitates, datur distinctio ex natura rei: hæc est Doctoris vt supra contra Discipulos Diui Thomæ: & probatur primo, inter communicabile, & incommunicabile, respectu eiusdem à parte rei, datur aliqua dis- tinctio, ex natura rei: sed natura comunis à parte rei secundum se considerata est de se com- municabilis; & cum singularitate est incom- municabilis: ergo inter ipsam naturam, & sin- gularitatem, necessario interuenit aliqua dis- tinctio ex natura rei. Maior est certa, & ad- mittitur à Caietano prima parte quæst. 39. artic. 1. ad primum Scoti, in rebus limitatis: quia vna & eadem res creata per eandem rationem for- malem nequit esse à parte rei comunicabilis, & incommunicabilis: minor etiam est certa, & admittenda ab omnibus illis, qui querunt, an natura à parte rei indiuiduetur per aliquid pos- sitiuum, de quorum numero sunt ipsi Thomi- stæ; de quibus non possum non mirari se non aduere contradictionem, in quam incidunt: supponunt enim naturam communem indi- duari à parte rei: & inquirentes quid sit tale prin- cipium indiuiduationis, varie respondent, vt Ar- ticulo sexto, videbimus: cum hac tamen suppo- sitione negant naturam illam à parte rei esse ex se comunem: quod mihi manifesta contradi- ctio videtur: nam si natura non est ex se commu- nis à parte rei, quomodo realiter per reale prin- cipium indiuiduationis determinatur: cum rea- le determinans reale determinabile præsupponat? Est realiter determinatur: quomodo ne- gant esse ex se à parte rei comunem, & inde terminatam? Quare dicendum est cum Doctore naturam à parte rei esse ex se comunicabi- lem, reddique à parte rei in comunicabilem per singularitatem, quæ est entitas ab illa ex na- tura rei distincta.

Contradi- ctio Thomi- starum.

Secundo, probatur conclusio: quando intel- lectus abstrahit communitatem naturæ ab ali- quo singulari: vel inuenit in ipso fundamentum commune; vel non: si hoc secundum: ergo ta- lis communitas abstracta erit facta: quod est à Logico alienum: si primum: ergo vel intelle- ctus mouetur à tali fundamento, vt est prius natura singularitate: vel posterius ipsa: vel si- mul natura cum ipsa; non vt est posterius singu- laritate; quia à singulari, vt singulare est, non potest abstrahi aliquid commune, & vniuersa- le: quia tunc abstrahentium præcisue esset men- dacium contra Arist. 10. Metaph. text. 10. nec e- riam mouetur ab illo, vt est simul natura cū sin- gularitate: tum propter eandem rationem: tum etiã quia singularitas est actus naturæ: ergo præ- supponit ipsam, vt determinabilem: ergo non possunt habere simultatem natura: ergo necessa- rio fatendum est primum: sed hoc sufficit ad dis- tinctionem ex natura rei. Igitur, &c.

Tertio, proprietates, quæ per se insunt sin- gula-

gularibus, conueniunt illis medijs naturis com- munitibus: vt verum sit dicere, quia homo est risi- bilis, Petrus est risibilis: sicut è contrario: accidē- tia conueniunt naturis communibus ratione sin- gularum: v. g. quia Petrus est albus: homo est al- bus: ergo cum hæc omnia, nullo intellectu confi- derante, ita sint a parte rei, necessario aliqua dis- tinctio ex natura rei inter naturam, & singulari- tatem, interuenire debet, ratione cuius hæc locu- tiones sint veræ.

Respondet Suarez: ad hæc, & similes locutio- nes, sufficere distinctionem rationis: quia in eis nõ datur causa realis, & Physica, quæ intercedat inter Petrum, & risibilem: sed explicatur adæqua- ra ratio, & origo illius proprietatis.

Sed contra nam licet inter Petrum, & risibi- le non intercedat causa realis, & Physica, sufficit illa adæquata ratio, vt risibile non dicatur dima- nare à Petro realiter, vt Petrus est, sed vt homo est: ergo hæc dimanatio realis Metaphysica, qua risibile dimanat ab homine, & per quam dicitur realiter conuenire Petro, sufficiens est, vt Petrei- tas distinguatur ex natura rei ab homine, vt ho- mo est: nam si nulla interueniret distinctio à par- te rei, verum esset dicere à parte rei: homo est risi- bilis: quia Petrus est risibilis: & è contra: ac simi- liter: quia homo currit; Petrus currit: & è contra: quod nullus concederet.

Quarto, natura humana ex se, & ex intrinse- ca ratione sua non est indiuidua, & singularis à parte rei: cum hoc sit tantum naturæ diuinæ pro- prium: ergo realiter per aliquid à se distinctum in- diuiduatur: ergo inter illam, & tale principium in- diuiduationis, est distinctio ex natura rei.

Respondet Suarez: in hoc, & similibus argu- mentis, facile committi æquiuocationem, argu- mentando ex modo concipiendi nostro, ad res ipsas: & distinctionem rerum ex distinctione se- cundum rationem colligendo: responderet ergo, hominem, vt sic, conceptum, non includere in suo conceptu, & ratione essentiali, aliquã dif- ferentiam indiuidualem, sed ab omnibus abstra- hi secundum rationem; & ita posse per plures se- cundum rationem contrahi, & determinari. Vnde rectè concluditur, aliquid debere addi, quod sit extra essentiam hominis sic concepti, vt singu- laris fiat: nego tamen inde sequi distinctionem in re inter naturam hominis communem, & singu- laritatem: quia natura hominis non reperitur in re ita comunis, & abstracta, sicut per intelle- ctum concipitur.

Sed hæc solutio non est ad rem: & princi- pium petit: petit enim principium, dum intendit naturam à parte rei non esse comunem, quod est eius conclusio: non est ad rem: quia nos non loquimur de natura, vt habet esse abstractum per intellectum; sed de ipsa, vt est à parte rei: an sci- licet, vt sic, sit ex sua intrinseca ratione singula- ris, sicuti est essentia diuina: & cum ex se non sit talis, sequitur; quod fiet singularis per ali- quid sibi additum, & ab ipsa ex natura rei distin- ctum.

Vltima est conclusio.

Dicendum vltimo: natura comunis in illo priori, quo proprie singularitati præintelligitur habet existentiam comunem sibi propriam ex

natura rei ab existentia singulari distinctam. Hæc est Doct. vt supra: & probatur: existentia est quid cum essentia identificatum: sed natura com- munis in illo priori habet entitatem realem dis- tinctam ex natura rei ab entitate singularitatis; ergo habet existentiam sibi propriam, & eodem modo distinctam.

Confirmatur: si aliquid prius distinguitur ex natura rei ab aliquo, quod est posterior ad il- lud prius, & propter illud aduenit; quidquid ad- uenerit ratione talis posterioris, à fortiori distin- guetur ab illo priori: sed singularitas est prior existentia singulari: & natura est etiam prior sin- gularitate, & distincta formaliter ab ipsa: ergo, & existentia singularis distinguetur ab ipsa natu- ra, & ab existentia illius: ac per consequens in- tentum.

Secundo, omnis causa efficiens, quæcunque illa sit, ad hoc vt causet, necessario habet existen- tiam sibi propriam extra suas causas: sed natura comunis in illo priori est causa efficiens pul- lularia suarum passionum: igitur habet existen- tiam sibi propriam: minor probatur: nam passio- nes pullulant realiter efficienter ab essentia sub- iecti, vt tenet Doct. in 1. Dist. 3. quæst. 5. ad secun- dum, & quæst. 7. & dist. 13. arg. 2. contra Henricum; & in 2. dist. 1. quæst. 1. & dist. 2. quæst. 1. & dist. 16. & 25. & alibi. Vel ergo pullulant ante singulari- tatem: vel post: vel simul similitate naturæ: non post singularitatem: quia tunc passionem demon- strarentur de singulari per se primo: quod est fal- sum: quia de singulari non est per se primo scien- tia: nec pullulant passionem à natura simul cum singularitate: quia cum similitate naturæ non stat prioritas naturæ: & cum passionem dimanet à natura, & præsupponant ipsam existentem, & non singularitatem: sequitur, quod dimanabunt ab ipsa ante singularitatem: ac per consequens intentum conclusionis.

Ad argu- mentum pro prima sen- tentia.

Ad argumentum pro prima sententia respon- detur: quod in singularibus datur naturæ communes, de quibus datur scientiæ: quæ quidem naturæ licet in ordine ad singularia, in qui- bus sunt, sint corruptibiles, in ordine tamen ad suas causas, maxime ad primam sunt incor- ruptibiles, & necessariæ ea necessitate, quæ ad scientiam requiritur: de quo latius Articulo quinto.

Ad primum pro secun- da senten- tia.

Ad argumenta secundæ sententiæ: ad pri- mum responderet primo: quod duæ illæ natu- ræ præcisè singularitatis distinguuntur rea- liter per aliquid intimum eis: non enim reputo in conueniens tales naturas differre per aliquid sibi intimum, nobis tamen ignotum, quod non sit differentia diuisua generis, & constitutiua speciei: nam tunc dæ illæ naturæ essent duæ species: quod est falsum; sed dicitur differentia non specificæ, de qua ens non prædicatur in quid vt patet per Doct. in primo dist. 3. quæst. 3. & hæc est prima solutio Leucheti in 2. vt supra, ad hoc argumentum, quod, inquit, esse Ochami in pri- mo dist. 2. quæst. 6.

Secundo responderet idem: illas duas natu- ras differre seipsis: sic intelligendo: quod in nul- lo superiori conueniunt: sed sicut vna dicit quid-

ditatem constitutam ex animali, & rationali: ita & altera: & sicut vna ab altera realiter distinguitur: ita animal, & rationale vnitas ab animali, & rationali alterius: & sic de singulis gradibus: non ponendo ipsos superiores ad has naturas, sed vt partes illas componentes. Nec ex hoc colligitur; quod homo, & Leo, non differant specie: quia animal, & reliqui gradus superiores in his realiter distinguuntur: nam homo & Leo, quomodocumque considerentur, semper constituitur differentijs componentibus species distinctas: & sic necessario requirunt aliquod commune contrahibile, in quo conueniant: quare non dicuntur differre se ipsis: secus de duabus humanitatibus dicimus: nam quamvis quolibet respectu alterius speciei diuerſa, scilicet equi, & Leonis, requirat aliquod commune, non tamen prout inter se comparantur: cum vt sic, non constituantur diuerſis differentijs specificis, sed sint primo diuerſa.

Dices: hæc duæ naturæ per vos distinguuntur: ergo vel numero: vel specie: vel si aliqua harum distinctionum non differunt, erunt idem numero: vel specie: sed quidquid horum dicitur, est contra solutionem: ergo solutio nulla.

Respondeo: quod distinguuntur realiter: & tamen, nec numero, nec specie, vt communiter de his distinctionibus loquimur; & patet instantia in materia, & forma, quatenus suis singularitatibus præintelliguntur, quæ realiter distinguuntur, & tamen nec numero, nec specie: nec sequitur: non distinguuntur specie: ergo sunt idem specie: cum illa, quæ sic differunt, vel sunt idem: ponantur in recta linea prædicamentali, quod non accidit in proposito: cum istis duabus humanitatibus in illo priori aliquod commune non assignemus, quod de illis quidditatiue prædicetur.

Dices: intellectus concipiens vnã haram naturarum potest fundare in illa vnã secundam intentionem speciei, & similiter concipiendo alteram: sed istæ duæ secundæ intentiones differunt specie: ergo & illarum fundamenta.

Respondeo: quod illæ secundæ intentiones non dicuntur differre specie adinuicem comparata: bene tamen si cum alijs intentionibus secundis aliarum specierum comparentur: sicut de illarum fundamentis diximus.

Ad secundum.

Ad secundum nego sequelam: ad probationem distinguo maiorem: si sibi non repugnet ex aliquo concomitante: concedo: secus autem si sibi repugnet: vt est in proposito: quia talis natura, vt sic existens, est causa intrinseca, & necessaria singularitatis: & sic sibi repugnat esse in rerum natura sine illa: sicut homini præcisè considerato, non repugnat esse sine risibili: secus autem, vt est causa necessaria risibilis: quare Doctor ait implicare, naturam esse sine indiuiduis. Nec illa propositio ex secundo sent. cogit: nam solum valet respectu illius; quod contingenter se habet ad plura realiter distincta, qualis est materia respectu omnium formarum: non vero valet respectu illius, quod indifferenter se habet ad plura formaliter distincta: vt accidit in proposito.

Ad vltim. Ad vltimum nego sequelam: ad probationem dico: quod illæ duæ naturæ in illo priori habent existentias communes extra causas, quibus realiter distinguuntur: vt dictum manet.

ARTIC. III.

An natura communis sit vna vnitate formali minori vnitate numerali.

DIFFICULTAS hæc ex duabus præcedentibus pendet, quam ab illis claritatis causa, separate decreuimus, vt ita illarum veritas magis clarescat: circa quam est prima sententia Thomistarum, qui sicut negant dari à parte rei naturam communem à singularibus distinctam, consequenter etiam negant talem vnitatem formalem ab vnitate numerali ex natura rei distinctam: quam sententiam, vltra argumenta facta, probat Araujo, vt supra, argumento desumpto ex D. Thoma de ente, & essentia cap. 4. quidquid conuenit naturæ secundum se, semper, & vbiunque debet ei conuenire; & oppositum nunquam: sed hæc vnitas non conuenit naturæ semper, & vbiunque: siquidem solum conuenit ei, prout præuenit contractionem ad singularia, & non conuenit ei contractæ in singularibus: quia ibi est contracta, & singularis: contractio autem, & singularitas, opponuntur isti vnitati: ergo talis vnitas non conuenit naturæ secundum se consideratæ.

Secundo vnitas formalis conuenit naturæ, quatenus est communis negatiue, & per non repugnantiam ad essendum in multis (vt fateatur Scotus) sed vt sic est tantum vnitas rationis: ergo non erit vnitas realis: minor probatur: tum quia omne ens reale existit in rerum natura; & illa vnitas cum illis conditionibus nequit existere: quia existens est actus rei singularis, ad quam terminatur actio generatiua, per quam communicatur existentia: & illa vnitas non conuenit naturæ positiue, sed negatiue sumptæ: igitur. Tum etiam: quia prædicata, quæ conueniunt negatiue alicui naturæ superiori, si sunt realia, sunt propria alicuius inferioris: qua ratione dicitur animali conuenire esse risibile per non repugnantiam: quia alicui animali est propria risibilitas: sed vnitas formalis nulli est propria: imò in nullo indiuiduo potest reperiri: ergo non est vnitas realis.

Opposita sententia est Doct. in secundo dist. 3. quæst. 1. pro qua notandum primo, quod vnitas est passio entis: vnde sicut triplex est vnitas: numericum, specificum, & genericum: (vnum namque proportionis non est ad propositum) ita etiam est triplex vnitas hoc triplex vnitas in suo esse constitutas: quare vnum numero, cuius vnitas sequitur singularitatem, est ens indiuiduum in sua natura singulari, vt in alia singularia diuidi non possit: sicut patet in Petro, & Paulo: & tale vnum dicitur maximum vnum: quia eius vnitas nullam aliam patitur secum. Vnum specificum

1. Sentent.

1. Argum.

2. Argum.

2. Sentent.

Doct. 1.

1. Notam.

1. Notam.

essentiam, cuius vnitas sequitur principia formalia, & essentialia naturæ: & ideo dicitur vnitas formalis: est, quod est indiuiduum; seu cui repugnat diuidi in alias naturas specificas: diuiditur tamen in indiuidua: vt natura humana non diuiditur in plures naturas specificas: bene tamen in plura indiuidua: & tale vnum dicitur minus vnum, quia vnum numero: quia eius vnitas secum patitur diuisionem indiuidualem; & vnitatem numeralẽ. Vnum tandem genericum est; quod est indiuiduum, seu cui repugnat diuidi in plura genera: diuiditur tamen per species: vt substantia repugnat diuidi in plures substantias, quæ sint generalissima: & idem de generibus subalternis, & infimis, dicitur suo modo: & hæc vnitas est minima vnitas, cum consequatur naturas magis diuisibiles: & per hoc patet Titulus Difficultatis.

Secundo, not. ex Doct. 7. Metaph. quæst. 17. & intelligendum quod vniuersale: & in 4. dist. 8. quæst. 2. littera O, quod in Petro, verbi gratia non solum secundum considerationem intellectus, sed secundum ordinem naturalem perfectio num in ipso vnitate conueniunt à parte rei; & est gradus realis entis, substantiæ, corporis, viuētis, & animalis: qui quidem gradus, sicut seruant inter se ordinem prioris, & posterioris naturæ, prout secundum se, & secundum rationem communem considerantur: sic in Petro eundem ordinem seruant: vnde prior est in Petro gradus entis, quam substantiæ: & hic prior, quam gradus corporis: & sic descendendo vsque ad infimum gradum superiorem: & sicut de illis sic in communi consideratis diximus: sic etiã de illis, prout contracti, & singularitati sunt, est nobis dicendum: nam in Petro, quicumque gradus non solum est gradus in communi; sed hic gradus propria singularitate contractus: cum enim sint à parte rei, vnus quisque sicut habet propriam entitatem, sic habet existentiam, singularitatem, & vnitatem propriam sibi correspondentem independentem ab existentia, & singularitate totius. Itaque Petrus non solum est hic homo: sed hoc animal: hoc viuens: hoc corpus: hæc substantia: & hoc ens: & sicut animal est prius, quam homo: ita in Petro est prius hoc animal, quam hic homo: & idem de vnitatibus est dicendum.

2. Nota.

1. Conclus.

Dicendum primo, nulla datur in rebus vnitas formalis, per quã de facto eadem natura creata sit vnã in multis positiue. Hæc est apud omnes communis: nec oppositum docuit Doctor Subtilis quidquid illi imponat Magister Soto quæst. 2. Vniuers. probatur conclusio: quia vnã naturam esse de facto in multis simul positiue solius est naturæ diuinæ: ergo hoc nulli naturæ creatæ, (etiã de potentia absoluta) conuenire potest.

2. Conclus.

Dicendum secundo, præter vnitatem formalem, & numericam, non est assignanda à parte rei in natura communi vnitas præcisionis, quæ dicitur communis multis. Hæc etiam est communis; contra Fonseca 4. & 5. Metaph. vt supra, quem optime impugnat Araujo: Sed breuiter probatur conclusio. Omnis vnitas realis vel est formalis, vel numeralis: sed vnitas illa præcisionis, secundum suum Authorem, nec est formalis, nec numeralis: ergo est ab illo facta, & non rea

lis: maior patet: nam vnitas est passio entis: sed ens, quod potest in Petro, verbi gratia reperiri, tantum est duplex: scilicet vel quidditas essentialis, vel singularitas: & ad illam sequitur vnitas formalis; & ad istam vnitas numeralis: ergo vnitas realis, vel est formalis, vel numeralis.

Confirmatur nam vnitas, cum sit item consequentia: dicitur carentiam diuisionis: ex multiplicitate diuisionis, eius multiplicitas est accipienda: sed tantum est duplex diuisio; altera per principia essentialia, & altera per principia materialia: quarum illa est formalis, hæc vero materialis: ergo duplex duntaxat vnitas datur: formalis videlicet, & materialis: maior patet: nam priuatio, sicut per habitum sibi oppositum cognoscitur, ita & numeratur: minor autem probatur, & explicatur: nam inter Petrum, & Paulum, sola est diuisio materialis; cum penes principia formalia sint indiuisi; sed si comparantur ad leonem diuiduntur penes principia formalia, scilicet penes animal rationale: ergo in illis: cum detur solum duplex diuisio, formalis, & materialis; tantum etiam dabitur duplex vnitas realis: formalis scilicet, & numeralis.

3. Conclus.

Dicendum tertio, natura in illo priori, quod præintelligitur singularitati, habet vnitatem formalem à parte rei minorem vnitate numerali, ab eaque ex natura rei distinctam. Hæc est Doct. contra Thomistas: ex præcedentibusque manet probata; denuoque probatur primo, secundum Philosophum 10. Metaph. tex. 2. in omni genere est vnum primum, quod est metrum, & mensura omnium, quæ sunt illius generis: sed tale primum, quod est mensura, habet vnitatem realem, & non est vnitas numeralis: ergo est alia vnitas minor numerali: maior est Aristot. & intelligitur de mensura quidditatiua quidditatiue mensurante alias quidditates, & perfectiones: vt quidditas hominis propter sui perfectionem est mensura quidditatum aliorum animalium; ita vt illa sit perfectior, quæ magis quidditati hominis appropinquat: minor quo ad primam partem patet: nam mensura, & mensurata, sunt vnigenæ: & si mensurata sunt realia, vt reuera sunt quidditates specificæ vnus generis: etiam, & mensura debet esse realis: quia ens reale non potest dependere in mensurari ab ente rationis: ergo humanitas, vt est mensura aliarum specierum animalium, est vna vnitate reali. Et quod non sit vnitas numerica ostenditur: quia mensurari dicitur ordinem essentialium inter mensuratum, & mensurans: ita vt mensurans sit prius mensurato: sed inter indiuidua eiusdem speciei non est ordo prioris, & posterioris, ex tertio Metaph. tex. 1. ergo nullum singulare in genere est mensura omnium illorum, quæ sunt in illo genere: ergo debet esse aliquod vnum commune: ac per consequens erit vnum vnitate formali, alia ab vnitate numerali.

Secundo iuxta Aristot. 5. Metaph. cap. de ad aliquid: similitudo, & æqualitas, sunt relationes fundatæ super vnitate: sed non possunt fundari super vnitate numerali reali: ergo oportet fundari super vnitate communi reali minori vnitate numerali: minor probatur: duo alba dicuntur